

PARS PRIMA, DE ELEMEN-

TIS SIVE SIMPLICIBVS

speciebus Arithmetices.

Quid est Arithmetica?

Est rectè numerandi computandiq; scientia. Sic dicta ab ἀριθμῆν, id est, numerando.

Quis vsus ac finis Arithmetices? *Artificiose computare.*

Qui primi traduntur inuentores? *Arabes, quorum etiam more à dextris sinistram versus pleraq; species procedunt.*

Quod est subiectum Arithmetices?

Numerus.

Quid numerus? *Est multitudo ex vnitatibus collecta.*

Quot sunt characteres, quibus omnes numeri designantur?

Decem, qui his notis pinguntur : 1, vnum seu vnitas. 2, duo. 3, tria. 4, quatuor. 5, quinq;. 6, sex. 7, septem. 8, octo. 9, nouem. Et, 0, Ziphra nihili, quæ decuplum valorem, reliquis numeris addita, designat. Vnde aliàs eadem consignificatiua dicitur, quòd videlicet reliquis numeris consignificet, & nullum, sola posita, valorem habeat. Ziphra

A 4 verè